Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviculum ex artibus Raimundi Lulli electum - Cod. St. Peter perg. 92

Thomas <Migerii>

Nordfrankreich (?), [nach 1321]

Intentio quare feci fieri picturam subsequentem ...

urn:nbn:de:bsz:31-8765

Visual Library

Cffe 20

Intentio quam fecit fieri picturam subsequentem fuit duplex. Prima intentio fuit ut sciretur origo a quo et quomodo orta est ars ista et alie Remondi artes et libri. Alia causa est propter solatium, quia talia inspicere multociens excitant animam ad bonum agendum et bona. ¶ Quia dum Remondus esset circa etatem consistencie et adhuc totus in sua vana lascivia et gloria et esset boni ingenii et subtilis intellectus. ¶ Accidit una die quod ante lectum eius incepit scribere quandam cantilenam quam novam faciebat amore cuiusdam domine quam amore fatuo diligebat. Et cum vellet scribere apparuit a dextris et ante faciem eius figura et similitudo crucifixi. Quam Remondus cepit intra se cogitare quid posset esse. Et hanc cogitationem levitate transiens iterum voluit predictam scribere cantilenam et statim apparuit crucifixus maior quam ante et magis sanguinolentus atque magis vulneratus. Et tunc cepit Remondus cogitare quod hec esse non poterant sine causa. Sed causam pertransiens levitate cantilenam scribere incipiens apparuit iterum crucifixus maior quam ante et magis terribilis. Et perterritus Remondus post apparitionem quintam lectum suum intravit et per totam noctem intra se cogitando quid visiones tociens iterate significare deberent. Hinc sibi quandoque dictabat mens atque consciencia quod mox relicto mundo domino Ihesu Christo extunc integre deserviret. Illinc vero sua consciencia iram se prius et indignam Christi servitio acclamabat vel accusabat. Sicque super hiis nunc secum disputationis nunc attentius deum orans laboriosam noctem duxit insompnem. De mane autem pre luminis consideravit Christi mansuetudinem, pacientiam atque misericordiam quam habuit et habet circa quoslibet peccatores. Tunc sic intellexit tandem certissime deum velle quod Remondus mundum relinqueret Christoque corde extunc integre serviret. ¶ Cepit ergo intra se cogitando tractare quod esset servicium maxime deo placens. ¶ Et visum est quod melius sive maius servitium Christo facere nemo posset quam pro amore et honore suo vitam et animam suam dare. ¶ Et hoc in convertendo ad ipsius cultum et servicium sarracenos qui sua multitudine christianos undique circumcingunt. ¶ Sed mox hec ad se reversus intellexit ad tantum negotium nullam se habere scienciam, utpote qui nec etiam de gramatica aliquid nisi forte minimum didicisse. Unde mente consternatus multum cepit dolere. Verum dum ipse mente lugubri hec devolveret, ecce nesciebat ipse quomodo, sed studens intravit cor eius vehemens ac implens quoddam dictamen mentis quod ipse facturus esset ¶ postea unum librum meliorem de mundo contra errores infidelium. Veruntamen cum ipse super tali libro faciendo nec formam videret adhuc aliquam neque modum, mirum mirabatur. Quanto tamen ipse super hoc plus et sepius est miratus, tanto fortius instinctus ille seu dictamen faciendi librum predictum intra se crescebat. ¶ Sed rursus considerans quod licet dominus deus sibi processu temporis faciendi predictum librum gratiam largiretur, parum tamen vel nichil ipse solus facere posset, inde presertim et linguam arabicam que sarracenorum est propria penitus ignoraret. Sed ad hoc venit sibi in mente quod ipse iret ad papam et ad reges etiam et principes christianos ad excitandum eos ad impetrandum apud ipsos quod construerent in diversis regnis seu provinciis ad hoc aptis monasteria in quibus electe persone religiose et alie ad hoc idonee ponerentur ad addiscendum predictorum sarracenorum et aliorum infidelium linguagia, ut ex eisdem personis ibidem convenienter instructis in promptu semper assumi possent et mitti persone idonee ad predicandum et manifestandum predictis sarracenis et aliis infidelibus veritatem que est in Christo fidei catholice unitate. Hiis ergo articulis supradictis in animo suo iam firmiter conceptis, videlicet de morte tollerandi pro Christo convertendo ad eius servicium infideles, de libro supradicto si daret deus gratiam etiam faciendo, necnon de monasteriis impetrandis pro diversis linguagiis addiscendis ut superius est prefactum. ¶ In crastino mox ascendit ad ecclesiam que non longe ab ibidem distabat, dominum Ihesum Christum devote flens largiter exorat quatinus predicta tria que ipse misericorditer inspiraverat cordi suo ad effectum sibi beneplacitum perducere dignaretur. ¶ Post hec festinanter confessus et contritus penitensque ut quod proposuerat auxilium ex sancta Maria matre domini Ihesu Christi et aliorum sanctorum impetraret peregrinus ad sanctam Mariam de Rupe Maiori et ad sanctum Iacobum in Compostella et adhuc plures alios causa exorandi dominum pro ipso. ¶ Reversus itaque in die sancti Francisci Maioricis predicante episcopo audiens quomodo beatus Franciscus sua omnia dimisit pro Christo domino nostro, provocatus exemplo suis possessionibus derelictis inde parum pro se et uxore sustinendi retinens suam laxuriam et pannos expolians induens se de viliori panno quem invenire potuit causa numquam revertendi se induit. Sed audivit dici quod per manum episcopi fuit factum in illa predicatione presente existente domina pro qua cantilenam facere volebat.

Ex Bibliotheca [illegible]
[illegible] dono dedit
L. L. des Fontaines
Anno 1756.
Emit Ulricus Abbas S. Petri in Nigra Sylva, à Dno. Dre. à Weegel, nostro Consulente.